



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Forma publicandi tales officijs publicis priuatos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

Est autem inuisissimum hoc statutum: indignum est enim in ciuitate bene constituta, eos qui sunt infames, honorificis ornamentis decorari, eisdem etiam inhibetur, ne phaleratis equis instar nobilium utantur, quod, & ad mulas trahi debet, ut optime scripsit Simancas de cath. inst. tit. 47. nu. 23. & seq. sed in his post aliquot tempus dispensari solet.

Forma publicandi tales officijs publicis priuatos.

Rater N. ordinis Prædicatorum, Venerabilibus & nobis dilectis vniuersis & singulis talis ciuitatis ecclesie cathedralis curatis & nõ curatis, ad quos presentes pertenerint: Salutem, & mandatis nostris, immo, &c.

AD Vestræ cuiuslibet notitiã deducimus, tenore nostrarum presentium litterarũ, quod nos, iustitia exigente, ac in frascriptorum cõmuniã requirentes, talem Vicariũ, talem Subuariũ, & talem Balliuũ, & talem Subballiuũ, & tales Consules ciuitatis talis seu loci, spoliãuimus officijs, quibus præerant antedictis, ac ipsos in habilitauimus ad officia publica, & honores publicos qualescunq; habendos deinceps in futurũ, decernentes etiam quidquid de cetero fecerint seu ordinauerint, virtute seu occasione prædictorum, seu aliorum officiorum esse irritum & inane, ac nullius existere firmitatis, sicut in nostris litteris infra scriptis videbitis plenius contineri, quarum tenor sequitur in hunc modum.

Nos frater N. &c. Insuperantur ex toto littere immediate præcedentes.

Verum cum velimus (vt debemus) ad præfata talis ciuitatis seu loci prædicti deduci notitiã singulorum, cum omnes tangere dignoscatur, & quod omnes tangit, ab omnibus debeat approbari, ne eos contingat erga huiusmodi ex ignorantia oberrare; Vobis & cuiuslibet vestrũ, seu vobis talibus, & talibus, auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, in virtute sancte obedientie præcipimus & mandamus, & mandando requirimus ac monemus, quatenus infra sex & dierum spatium, quos vobis, & vestrũ cuiuslibet pro trina monitione canonica, & termino peremptorio assignamus; quibus elapsis excommunicationis sententiã uos subiaccere volumus ipso facto, in vestræ ecclesie dum Missarum solemniam celebratur, & populi erit inibi multitudo, præfatas nostras litteras alta voce in vulgari, & intelligibiliter publicetis, ac faciatis per alios publicari, notificantes omnibus, vt supra, quod nos, prædictos, & eorũ quemlibet spoliãuimus officijs publicis antedictis, quibus antea utebantur, ac etiam spoliãuimus, & inhabilitamus eos, & eorum quemlibet deinceps ad quocunq; publica officia obtinenda, decernentes, quidquid de cetero attulerint occasione prædictorum officiorum, seu eorum nomine vel colore, fore irritum & inane, ac nullam obtinere vterius firmitatem; Mandamus vniuersis & singulis vniuersitatibus præfate ciuitatis seu loci, quatenus prædictis taliter a suis offi-

cijs per nos auctoritate Apostolica spoliati, & eis non pareant seu obtemperent in his, que spectant ad executionem officiorum prædictorum, quibus antea utebantur, cum illi sint suis demeritis auctoritate Apostolica spoliati. Datum, &c.

Si autẽ illa ciuitas siue locus prædictos recusauerit, & eos habuerit ut ueraciter a suis officijs spoliatos, eligantur seu ponantur alij officiales boni, qui in principio sue creationis & nouitatis, præsentent, ut tenentur, prædictum canonicum iuramentum.

Vbi autem dicta ciuitas siue locus non obtẽperauerit sententijs per Inquisitorem latis in antea memoratis, sed duxerit contumaciter resistendum, dictos spoliatos in prioribus officijs tolerando, a quibus fuerint canonicè spoliati, tunc in illo casu, licet Inquisitor possit procedere, & ciuitatem, si ciuitas fuerit, priuare aliarum commercio ciuitatum, ac episcopali etiam dignitate, iuxta cap. Ad abolendam. §. statumus, in fine, de hæret. lib. 5.

Tamen melius est, quod ad tantam pœnam per Inquisitorem non procedatur, sed ciuitatis contumacia domino nostro Papæ exponatur, præsertim cum cap. De officio, de hæret. lib. 6. ad pœnam ciuitatis vel loci amplius non procedat.

COMMENT. IX.

Tamen melius est, quod ad tantam pœnam Inquisitores non procedatur. Singulare est hoc Symerici documentum, quod est in magnis causis semper obseruandum; tutius enim ac securius est pœnitionem differre, & principem consulere, quam dum celeriter procuratur, tumultum excitare; cum sepius contingat, populos non ita delegatis iudicibus, aut gubernatoribus, ac principibus ipsis obedire. Et si Inquisitores vellent potestatis sue omne imperium exercere, facile ad seditionem ciuitates commouerent.

In Hispania, qui ita delinquerent, per Inquisitores proscriberentur, & manu regia comprehenderentur ac punirentur, vt testatur Iacobus Simancas de cath. inst. tit. 23. num. 8.

De institutione Vicarij, seu Commissarij.

DVM autem prædicta taliter peraguntur, præfato antefato canonico iuramento vel nõ prestato, potest & debet Inquisitor in quolibet episcopatu vnũ Commissarium instituere quadraginta annorum ætatis, iuxta glossatam super c. Nolentes, de hæret. in cle. religiosum, seu clericum sectularem, virum prouidum & prudentem, scientia & moribus pollentem, sancte fidei zelatorem, & hoc per litteras tenoris sequentis.

Forma instituendi Commissarium specialem.

Rater N. ordinis Fratrum Prædicatorum, sacrosanctæ Theologiæ magister, &c. Venerabili & nobis in Christo dilecto N. ordinis supradicti

Num. 36. Dicitur de pe pœnitio, ne scdalum oriatur.